This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ga 113
152.25

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Ga 113 .152.25

Harvard College
Library

FROM THE FUND GIVEN BY
Stephen Salisbury
Class of 1817
OF WORCESTER, MASSACHUSETTS
For Greek and Latin Literature

QUA RATIONE ARISTOTELES METAPHYSICAM VIM SYLLOGISMO INESSE DEMONSTRAVERIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

PROPONEBAT

AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

LEO BRUNSCHVICG

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

EDEBAT FELIX ALCAN BIBLIOPOLA

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

M DCCC XCVII

QUA RATIONE ARISTOTELES METAPHYSICAM VIM SYLLOGISMO INESSE DEMONSTRAVERIT

QUA RATIONE ARISTOTELES METAPHYSICAM VIM SYLLOGISMO INESSE DEMONSTRAVERIT

CAPUT I

IN SYLLOGISMO MENTIS VIRTUS CONSTAT

Ut Aristotelis doctrina recte intelligatur, ad superioris ætatis viros, Aristotele ipso duce, nobis est respiciendum. Ante autem Socratem alii, humanæ mentis vires nullo modo commensi, protinus naturam rerum tentaverant; alii contra ratiocinandi arte ad omnem veritatem tollendam omnemque fidem dissolvendam abusi erant. Sed Socratici, ut res ipsas vere occuparent, humano animo prius incubuerunt; qui ideo non physici aut sophistæ verum philosophi bono jure dicti sunt. His enim intellectum et rem unum atque idem esse constabat; quod si in dubium vocaretur, neque intellectus neque res existere posset. Ergo qua ratione utraque sibi congruant, scilicet et quæ animo cogi-

tantur et quæ revera sunt, demonstrare philosophorum proprium fit munus atque officium. Cum igitur Aristotelis sententiam dispicere et ceterorum, qui Socratici fuerunt, a sententiis secernere studeamus, hoc ante omnia inquirere debemus, quid de mentis ipsius natura censuerit, præsertim in quo cogitandi modo verum intellectus robur collocaverit.

Primum Socrati placebat hoc tantum hominibus, quidquid meditarentur vel colloquerentur, esse spectandum, scilicet ut communem notionem perciperent. Nam si quis actionis suæ naturam et finem generaliter intellexerit, certo cognoscet quid sibi sit agendum; quo cognito necesse est bene agat. Quare Socrati, quia unice ad virtutem tendebat, nulla erat opus scientia nisi arte illa res generaliter definiendi[1]. Hæc vero ars Socratica, ubi post eum ad universam rerum cognitionem translata fuit, quasi jejuna et infructuosa in irritum cecidit. Illius enim ex discipulis qui, sicut magister ipse, in formandis communibus notionibus totam mentis potestatem consistere arbitrabantur, sive ad res sive ad verba tantum notiones pertinere existimabant, sive unam esse notionem quæ per diversa nomina eadem et immutabilis staret, sive multas sed separatas nec quidquam inter se commune habentes[2], omnes autem id pariter negaverunt, scilicet eam facultatem menti tribui posse qua, notiones singulas transgressa, aliam cum alia jungere valeret. Cum de ceteris rebus omnino dissideant, unum consentiunt, nullam esse scientiam per quam res invicem aliæ ad alias relatæ intelligantur.

Itaque Plato philosopho hoc nomine vere digno non, si ad supremam ideam, id est ad Unum quod in se est unum,

1. *Met.*, A 6, Bekk. 987 b 1 sqq.
2. Cf. M. δ 29, 1024 b 32.

animum extulerit, satis esse censet, sed ei quærendum esse quomodo ceteræ ideæ et ad illam relatæ et per illam inter se connexæ mundum quemdam qui intelligi possit, constituant. Quem mundum mens dum aspicit, uno intuitu duarum notionum convenientiam aut repugnantiam percipit, affirmat aut negat, vel, ut uno verbo utar, judicat; sic « idearum admixtio » illa probatur justaque esse apparet unde vera rerum cognitio ac præsertim ars mathematica oritur quæ absolute sciendi præbet exemplar. Sic duabus notionibus in unam conjunctis, quod in sermone simpliciter enuntiando significamus, rerum scientia constituitur, ac propterea (ut e primo *de Anima* libro apparet ubi non scriptæ Platonis sententiæ ab Aristotele discipulo referri videntur) eadem atque τὰ δύο dici potest [1]. Quid vero? rogat Aristoteles; nonne tunc necesse erit omnis cognitio semper sit infinita ideoque imperfecta? Sententia enim una prolata, nihil novum sequitur; sed continuo scientia nostra quasi interrupta pendet; rursus nobis, quemadmodum apud Platonis dialogos esse solet, altera sententia aliunde petenda quæ, omnino pari affirmandi aut negandi facultate concessa, nihil aliud nisi vanam atque incertam respondentis opinionem refert [2]. Quinetiam, dum singulæ sententiæ ita singulis adduntur pariter atque alio alius numerus augetur, nulla est menti consistendi ratio; dialecticus igitur vir quem Plato philosophandi principem finxit, semper scientiæ suæ finem frustra persequetur, donec nullus, quemadmodum finito numero, ita absolutæ cogitationi maneat locus, et mens tandem evanescat.

Aristoteles autem qui magnam sane et bene agendi scientiæ et mathematicis studiis majorem vero animalium his-

1. *De An.*, I, 2, 404 b 22.
2. II *An.*, I, 5, 91 b 12 sqq.

toriæ dedit operam, vivo et spirante corpore absolutam existendi speciem et exemplar præberi existimat. Ubi enim nihil reperitur quod sit et diversum et ita dispositum ut ad unum finem omnia vergant, nihil movetur nec vivit nec plane existere dici potest. Eodem modo mentis actio, ut ipsa sit vera et perfecta res, certis terminis contineri et medium habere debet, unde intimam crescendi legem hauriat. Nam una sententia nihil gignere valet[1]; sed duæ, ubi per mediam partem conjunguntur, genitalis cujusdam vis participes fiunt, tertiamque enuntiationem, nomine conclusionem, pariunt, quæ non potest alia esse atque illæ fecerunt, sed, quemadmodum filius parentum vultum atque animum, ita priorum vim et veritatem refert. Postquam illud ratiocinandi genus quo necessarium quiddam concluditur, ad justam suam formam redactum est, fit syllogismus. « Syllogismus, dicit Aristoteles, est oratio in qua, quibusdam positis, aliud ex eo quod illa sunt, necessario sequitur[2]. » Quamobrem non aliquo casu aut fortuna syllogismus apud Aristotelem est philosophandi principium, sed cum animalium vitam imitetur suamque existendi causam in se contineat, per se est perfectum quiddam; idcirco mentem non potest ad rerum naturam vere intelligendam non ducere. Quæ sit igitur in syllogismo vivendi et pariendi ratio, demonstrare, aut, ut breviter dicam, syllogismum resolvere, logicæ scientiæ præcipuum est munus, unde suum *Analyticorum* libris nomen est datum.

1. II *An.*, II, 11, 94 a 24.
2. I *An.*, I., 1, 24 b 18.

CAPUT II

E MEDIO TERMINO VIS SYLLOGISMI ORITUR

Ad syllogismi naturam necessitas concludendi pertinere videtur; ne vero propterea credas, ubicumque necessarium quiddam sit conclusum, ibi fuisse syllogismum; nam necessitas plura significat quam syllogismus [1]. Exempli enim gratia, supponatur, cum quæ non substantia sit tollatur, substantiam non tolli, iis autem e quibus substantia sit constituta sublatis substantiam tolli, ex his positis substantiæ partem esse quoque substantiam necessario sequitur [2]. At cur tales hi ratiocinandi modi, quanquam ad necessariam sententiam mentem adducunt, non tamen sunt syllogismi? his communis quædam notio deficit ad quam relati duo termini, quorum aut convenientia aut repugnantia in concludendo est percipienda, invicem referantur. Eumdem terminum utraque enuntiatio capere debet; sin aliter, non ratiocinandi esset principium neque

1. M. E. 5, 1015 a 20.
2. I *An.*, I, 32, 47 a 23 sqq.

fieret syllogismus. Sed quomodo duas notiones tertia jungere valebit? Si et altera, sicut toto, continebitur, et alteram, sicut partem, ipsa continebit, tunc ambarum quarum erit media, vinculum præbebit : nam aut mentem a se discrepare et eamdem rem simul sibi contrariam esse licebit [1], aut quæ sunt in toto in parte quoque reperientur. Cum A sit in B, et B in C, necessario A est in C. In B igitur argumenti necessitas ponitur : qui terminus, quoniam ad primum terminum qui in conclusione erit *prædicatum*, tanquam *subjectum* referri debet, et ad postremum qui in conclusione *subjectum*, tanquam *prædicatum*, medius terminus bono jure vocabitur [2].

Illud Platonica divisio confirmabit, si cum Aristotelico syllogismo conferetur. In illa enim divisione, qui medius sumitur, plura designat quam ceteri termini; idcirco nonnisi falso atque immerito medii termini partes gerit. Nam si quæritur num mortalis sit homo, *animal* et *hominem* tanquam principia divisio capit, et omne animal aut mortale aut immortale esse addit, unde non aliud sequi potest quam aut mortalem aut immortalem esse hominem. Ubi igitur verus medii termini ordo ac ratio non observatur, imbecillus fit syllogismus [3]. Ut contra *mortalem esse hominem* demonstretur, ad terminum eum animadvertere oportet qui medius ad *hominem* et ad *mortale* in vices relatus sit, scilicet ad *animal*; nam ex eo perfectus syllogismus oritur quod bis unus atque idem terminus captus est, in priore sententia quæ nomine est *major*, tanquam pars, in posteriore quæ *minor*, tanquam totum [4]. Medio enim sublato,

1. M. γ. 6, 1011 b 16.
2. I *An.*, I, 4, 25 b 33.
3. I *An.*, I, 31, 46 a 33.
4. I *An.*, I, 4, 25 b 34.

extremi conjunguntur, et conclusio, cum jam sumptis enuntiationibus contineatur, necessario generatur.

Si vero nihil novum in conclusione inveniatur, non inde fit ut concludere inutile ac vanum arbitreris; mens enim, dum et majorem et minorem sententiam possidet, tertiam tamen quæ ex illis sequitur, ignorare potest. Qui omnem mulam esse sterilem, et hanc esse mulam scit, hanc in utero ferre putare potest, quia illa in vices nec conjuncta cogitat; ita ut conclusionem simul et sciat et nesciat[1]. Quasi materiem habet, unde agendo formam trahet. Hæc actio qua potentia absolvitur, id est qua duæ sententiæ in unum coeunt, contuitus sive compositio ab Aristotele dicitur, quæ scientiæ fons et principium esse debet; nam nemo cognoscit nisi fecerit : in syllogismo, quia est actio, est veritas.

1. II *An.*, I, 71 a 11 sqq.

CAPUT III

MEDIUS TERMINUS EST CAUSA

Syllogismus, cum perfectus sit ratiocinandi modus, non potest non esse perfectum scientiæ instrumentum. Quam autem scientiam esse dicimus? Quidquid certiores nos facit quomodo et cur res nata sit, hæc rei est causa : nullius rei prorsus scientiam habemus cujus non causam teneamus [1]; vere scire, ut primus dixit Aristoteles, est scire per causas; nam absque causa non verum cognoscimus [2]. Quoniam igitur syllogismus medio termino quasi cardine utitur, eamdem, ut syllogismus scientiæ particeps fiat, oportet esse virtutem in medio termino atque in causa. Unde hoc quasi solemne verbum per quod et logica et metaphysica doctrina inter se ita conjunguntur, ut altera rerum natura stabiliatur, altera ratione illuminetur : τὸ μὲν φὰρ αἴτιον τὸ μέσον [3]. Quamobrem ut syllogismi vim

1. *Phys.*, I, 1, 184 a 12; M. A. 3, 983 b 25.
2. M. α 993 b 23.
3. II *An.*, II, 2, 90 a 6.

metaphysicam assequamur, hoc nobis est demonstrandum quomodo medius terminus causam referat. Quod quidem haud magni laboris esset, si et una esset concludendi ratio et unicum causæ genus quod unica syllogismi forma haud dubie probaret. Sed Aristotelis ingenio illud fuit proprium atque insigne ut nihil unquam dixisse putaret si simpliciter et generaliter dixisset; cujus rei celebre illud pronuntiatum est documento : ἁπλῶς οὐ ψατέον [1].

« Cum tres termini, dixerat Aristoteles, ita inter se affecti sint ut extremus in toto medio et medius in toto primo sit aut non sit, necesse est extremorum esse syllogismum perfectum [2]. » Sic mortalis est omnis homo; homo vero est omnis Atheniensis, ergo mortalis est omnis Atheniensis. Sed dum hominem esse omnem Atheniensem affirmas, non potes non affirmare Athenienses esse aliquot homines, nisi eamdem rem simul et esse et non esse fatearis, ac totam cogitandi normam evertas [3]. Inde novus syllogismi modus oritur : mortalis est omnis homo; Athenienses autem sunt aliquot homines : ergo mortales sunt aliquot Athenienses; apud quem terminus qui conclusioni necessitatem affert, non medium locum tenet, natura non positu medius; attamen tribus his sententiis conjunctis syllogismi genus quoddam constituitur, quoniam, minoris sententiæ terminis reciprocatis, medius inter extremos reducitur, et perfectus fit syllogismus. Itaque concludendi modus ille non omnino tanquam Platonica divisio a syllogismo discrepat, sed, cum in perfectum converti possit, imperfectus syllogismus vocari debet [4]. Perinde quoties-

1. M. ζ 1026 a 23. Cf. Ravaisson, *Essai sur la métaphysique d'Aristote*, vol. I, p. 393, n. 3, et *Bonitzii indicem in verbo* ἁπλῶς.
2. I *An.*, 4, 25 b 32.
3. M. γ, 3, 1005 b 29 sqq.
4. I *An.*, I, 1, 24 a 13.

cumque secundum certas leges quas Aristoteles sedulo et subtiliter investigavit[1], termini reciprocantur et ad perfectum syllogismum fit conversio, syllogismorum nascuntur et novæ figuræ et novi in figuris modi. Sunt igitur et diversa syllogismorum genera quæ inter se suis convertendi modis conjungantur, et diversa terminorum genera quæ mediorum quamvis locum non teneant, partes tamen gerant; quibus diversa causarum genera respondent. Nam non omnis causa ejusdem est generis; sed terminus cui non natura sed casu medio esse accidit, causam quamdam significat cui non natura sed casu esse causæ accidit. Itaque, ut syllogismum ad physicam aut metaphysicam scientiam aptum esse intelligamus, non satis habebimus si generaliter medium terminum esse causam demonstraverimus; sed cum Aristoteli nihil a philosophia alienum vel contemnendum vel etiam relinquendum esse videretur, nos Aristotelis interpretes cavere oportet ne ullum aut medii termini aut causæ genus nos prætereat. Ab arte sophistarum de rebus quæ non sunt disputantium initium nostrum trahere non dedignabimur; adeo ut nullo prætermisso gradu ad summam cognoscendi rationem, quæ simul summa existendi est causa, perveniamus. Tum si ordo mediorum terminorum idem esse apparuerit atque ordo causarum, bono jure apud Aristotelem logicam doctrinam rerum physicarum aut metaphysicarum scientiæ organum fuisse dicetur.

1. I *An.*, I, 2 sqq.

CAPUT IV

MEDIUS TERMINUS EST MATERIES

Primum ratiocinandi genus consideretur, quod maxime est in usu, ubi a simili quadam re ad similem quamdam rem transitur; verbi gratia, si orator Atheniensibus fidem facere cupiet malum fore cum Thebanis bellum, e bello cum Phocensibus facto sumet argumentum; Thebani enim et Phocenses hoc conveniunt quod utrique Atheniensium sunt finitimi [1]. Sed secundum Aristotelem nihil longius a vero et demonstrativo syllogismo distat (ad quod tamen clarissimus nostræ ætatis philosophus omnem syllogismi formam reducendam esse existimat [2]). Apud exemplum enim nullus terminorum ordo; qui reipsa est medius, similitudine quasi occultatur; nunquam alter ad alterum sicut pars ad totum aut totum ad partem refertur [3]; sed mens e

1. I *An.*, II, 24, 68 b 38 sqq.
2. Cf. Herbert Spencer, *Principes de psychologie*, vol. II, part. VI, cap. VI-VIII.
3. *Rhet.*, I, 2, 1357 b 27.

parte quadam ad aliam partem temere progreditur : si exemplo fidere volueris, tibi erroris potius quam veritatis erit dux ac magister.

Exemplum tamen, cum non sit scientia ipsa, non potest nihil ad scientiam attinere ; nam quotiescumque vel minime ad cogitandum conamur, quidquam vel minimum cognoscimus ; exemplum igitur erit initium sciendi. Si enim non una parte aut pluribus contentus eris, sed paulatim omnes percurrere potueris, tum eas pro toto et quasi totum habebis. Sic supponatur hominem et equum et mulum esse omnia bilis expertia animalia, duabus ex illis sententiis tertia necessario sequitur, scilicet quidquid sit bilis expers, longævum esse [1]. Inductio illa, cum necessarium quiddam concludat, causam quamdam complecti debet ; cujus genus concludendi genere definiri debet. Apud inductionem, velut apud exemplum, vera rerum ratio ignoratur ; nam quod positu est medium, natura non est medium. Singulis rebus collectis, totum capiatur necesse est ; sed, cum illud esse negare, tum cur illud sit intelligere haud tibi licet. Concludendi necessitatem illam extrinsecus et secundum numerum, non intus aut secundum speciem tenes [2] ; cæca, ut ita dicam, est tua conclusio. Inductio igitur non est perfecta scientia. Cui enim sigillatim omnes partes percurrendæ sunt, quomodo finitum unquam fore opus sperabit ? singulæ res omnem numerum semper superabunt, quarum quoquo vertes novam aliquam videbis, et quotidie nova aliqua nascetur ; idcirco inductio infinita erit, unde fit ut semper imperfecta futura sit ; nihil enim, si quid extra illud capi possit, est perfectum [3]. Sed inductio, cum non sit

1. I *An.*, II, 23, 68 b 19 sqq.
2. II *An.*, I, 5, 74 a 30.
3. M. t, 1035 a 12.

perfecta scientia, perfectæ tamen scientiæ præcurrit. Nam prius singulæ res sunt occupandæ quam ad unum genus redigantur : nobis igitur, dum discendi ordo consideratur, inductio est prima cognitionis via[1]. Qui res vere cognoscit, generaliter cognoscit; sed qui ad generaliter cognoscendum per singulas res non pervenerit, nihil nisi inania somnia finget[2].

Inde intelligi potest quale causæ genus inductione indicetur : causa enim illa non est existendi ratio, sed sine illa existere non licet; absolute necessaria est et per necessitatem definiri potest[3]. In illa semper infinitum quiddam manet quo omnis absolute existendi facultas tollitur[4]; ab aliis rebus nunquam separari potest, sed semper una atque eadem omnibus rebus subjecta occultatur[5]. Quemadmodum igitur non per se perfecte existit, nunquam per se perfecte cognoscitur[6]; sed quæ nec mente neque oculis cernitur, conjectura quadam prospici debet[7]. Denique temporis ratione ceteras causas antecedit[8], et maxime e rebus quæ primæ nobis existere videntur, a sensu propioribus quam ab intellectu detrahitur. Ex his constat causam quam ita patefacit inductio, esse materiem ; quæ cujusmodi sit causa, simul tenemus. Inductio enim non est perfectus syllogismus quia illi deest verus terminorum ordo : medius terminus, cum in utraque enuntiatione pro subjecto sumatur, est extra extremos. Ut vera medii ratio instauretur, non per singulas res, sed de singulis rebus affirmandum erit; quo

1. I *An.*, II, 23, 68 b 35; II *An.*, I, 1, 72 b 28.
2. Cf. *Eth. Nic.*, VI, 3, 1139 b 28.
3. II *An.*, II, 11, 94 a 24.
4. *Ph.*, IV, 2, 209 b 9.
5. M. ζ 10, 1035 a 8 sqq.
6. M. ζ 10, 1036 a 8.
7. *Ph.*, I, 7, 191 a 8.
8. M. δ, 11, 1019 a 9.

inductio pervenerit, inde initium erit trahendum; nam conversis sententiis et conclusione majore facta, tum principium ponitur, quidquid expers sit bilis, longævum esse; ex quo necessario concluditur hominem et equum et mulum, cum bilis sint expertes, longævos esse. Inductio igitur, cum syllogismus non sit, omnia continet unde syllogismus fieri potest; potentia, non actu, syllogismus jure vocatur. Eodem modo materies res ipsa est dicenda, sed potentia tantum [1]; materies est ipsa potentia, nam quod per infinitum, ut ita dicam, definitur, nihil est nisi ad aliam rem respectu a qua requirat perfectionem; quod autem nihil est per se, omnia fieri potest. Potentia quidem non data, actus non dabitur; quare materies causa necessaria esse videtur; sed contraria sententia : actu non dato, potentia non dabitur, nihilominus est vera, etiam verior quia non generationis, sed absolutum rerum ipsarum ordinem attinet [2]. E potentia sola nihil novum oritur; sed actus et suimet ipsius et potentiæ pariter reddit rationem. Quamobrem materies non, ut primo adspectu videtur, universa rerum causa dici potest. Omnia quidem continere videtur, quia nihil fit quod non materie antea sit involutum; sed reipsa omnibus rebus continetur, quia omnibus rebus subjecta est [3]. Quæ ex illa oriri putares, extrinsecus recipit; nam nullum agendi initium neque ullam movendi rationem in se habet, nihil ordinat aut determinat, sed ordinatur et determinatur; omnis actio in eam, ut ita dicam, exercetur, eamque invitam vel potius indifferentem flectit [4]. Quare si materiem unicam rerum causam feceris, quod ante Socra-

1. M. ζ, 1032 a 22; *De an.*, II, 1, 412 a 9.
2. *De part. an.*, II, 1, 646 a 35.
3. *Phys.*, III, 6, 207 a 25.
4. *De gen. et corr.*, II, 7, 324 b 18.

tem fere omnes philosophi fecerunt [1], nihil nisi quod pluribus rebus commune sit, nullam vero peculiarem ac sufficientem causam assecutus eris; idcirco, quomodo res mutentur et aliæ ab aliis diversæ oriantur, quomodo fiat motus, aliunde tibi petendum esse superest.

1. M. A. 4,984 a 18; *De gen. an.*, V, 1, 778 b 9.

CAPUT V

MEDIUS TERMINUS EST CAUSA QUÆ EFFICIT

Quod mutationem quamlibet denuntiat, primum est signum [1]; sic aliquam feminam, quia lac habet, uterum gerere certiores fimus. Quæ significant nobis notiora et manifestiora esse solent quam quæ significantur. Non autem ex omni signo necessarium quiddam sequitur. Ut verum et certum signum existimetur, uno signo unam rem tantum significari oportet [2]. Tum, rebus inter se per singulare vinculum ligatis, e signo sufficiens fit concludendi ratio. In illo vero signo medius terminus non adhuc est ordinatus, sed extra extremos sumitur. Ratio concludendi non est per se ratio intelligendi, quæ igitur in natura rerum non nisi per accidens causa esse dicitur [3]. Quare scientia quæ e signis naturam deducit, non res ipsas, sed quæ rebus

1. *An.*, II, 27, 70 a 3 sqq.
2. I *An.*, II, 27, 70 b 10.
3. II *An.*, I, 6, 7 5 a 33.

necessario, ut ita dicam, accidunt, cognoscit ; non physica, sed physiognomica dicitur [1].

Sed nonne physiognomica scientia quasi atrium fiet ad physicam adeundam ? Apud signum, per terminum quo tanquam medio usi sumus rem significatam esse scitur, sed quæ et cur sit, ignoratur ; signum enim nihil generat, semper est effectus. Sed, si ad unam rem unum signum refertur, signum hoc converti potest : femina quæ, cum lac habeat, uterum gerere dicta est, cum uterum gerat, lac habere dicitur. Hac autem e conversione non semper eadem oriuntur. Aliquando enim medius terminus non magis quam antea ordinatus erit ; nihil igitur e signo trahetur nisi aliud signum. Tum novus syllogismus ad alium referetur qui ipse non verum sciendi principium præbebit, ita ut alii in alios syllogismi infinite converti queant. Quæ circularis probatio veræ rerum vicissitudini respondere potest, nam quædam ita sese habent : « Humectata terra, necesse est oriri vaporem ; quo generato, nubem ; qua generata aquam ; hac vero orta necesse est humectari terram [2] ». Si autem omnia invicem reciprocari possent, nihil aliud teneremus nisi accidentia ad alia accidentia relata ; demonstratio, nunquam ullum solidum principium assecuta, in circulum perpetuo motu volveretur, ita ut omnis scientia tandem evanesceret [3]. Plerumque contra syllogismus in quem signum est conversum, non ipse converti potest ; sed e signo per conversionem perfectus oritur syllogismus [4]. Sic, verbi gratia, planetæ dum non scintillant, propinqui esse existimantur ; unde : omnia quæ non scintillant, propinqua

1. I *An.*, II, 27, 70 b 7.
2. II *An.*, II 12, 95 b 38 sqq ; cf. *De gen. et corr.*, II, 10. 337 a 4.
3. II *An.*, I, 3, 72 b 18.
4. II *An.*, I, 13, 78 a 22 sqq.

sunt; non autem planetæ scintillant; ergo planetæ propinqui sunt. Hic nobis quid sit dat syllogismus, non quamobrem sit; quis enim ex eo quod non scintillant, planetarum proximitatem in rerum natura fieri contendet? Sed tantum quod cognitu est facilius, sive per sensum sive per inductionem, pro medio usurpatur. At signum illud, medio termino mutato, convertitur : tum, quidquid est propinquum, non scintillat; planetæ autem propinqui sunt; ergo planetæ non scintillant. Ita convertendi rationem veræ scientiæ originem esse patet. Ubi signi medius terminus non inversa vice poni potest, res, cum per eam quæ non est vere causa, solum cognoscantur, nihil aliud quam esse affirmare licet; ubi contra conversio fit, ibi rerum veram rationem mens assequitur. Nonne autem, quia est vera, necessaria et universalis erit ratio, quæ non ad hanc aut ad illam tantum sed ad omnem ejusdem generis rem pertinebit? Illum quidem apud syllogismum medius terminus non sine sensu comprehenditur, nam per sensum universales propositiones inducuntur e quibus syllogismus sua principia trahit; sensu deficiente, scientia ipsa deficit [1]. Non ideo sensus, sed quod mens per sensum intelligit, scientiam constituit. Qui enim super lunam steterit, si nihil aliud quam senserit, eclipseos naturam non persequetur [2]; sed, si intelligere valebit, simul atque lunam deficientem viderit, cur deficiat tenebit [3]. Ita, cum nobis sit sensus scientiæ initium atque origo, aliquid tamen mente prosequimur, quod est magis quam sensus. Nam res mutatur; oportet igitur necessarium inter rem ac mutationem esse vinculum; quisquis animo erit promptior et sagacior,

1. II *An.*, I, 18, 81 a 38.
2. II *An.*, I, 21, 87 b 39.
3. II *An.*, II, 2, 90 a 26.

statim qua ratione duo hi termini conjungantur, intelliget, id est medium terminum inveniet [1]; sic medii termini inventione scientia generatur. At quod necessarium, simul universale dicendum est. Quemadmodum, cum sensus contingentia solum præbeat, rebus tamen in contingentibus necessariam causam reperire licet, ita dum sensibilia mente cernuntur, inductio fieri potest quæ, non per multas res et in multo tempore dispersa, sed una atque repentina e singulari quaque re universam causam dispicit; adeo ut per illam inductionem sensus universi principium esse videatur [2]. Si vero medii termini ordine restituto ab inductione ad syllogismum transitum erit, tum hic nobis erit in manu qui primum enuntiando generaliter affirmat, et concludendo quoque generaliter affirmat. Talis hic syllogismus qui nonnisi per primam figuram constitui potest (nam ceteræ figuræ aut negativa aut particularia, concludant necesse est) proprie ἐπιστημονικός ab Aristotele vocatur [3].

Quoniam ibi vero rerum ordine relato non initium comprehenditur per quod ad res pervenimus, sed principium unde res ipsæ procedunt, medio termino ea vera in natura rerum causa respondere debet quæ mutationis reipsa sit origo et principium; hæc quam Aristoteles diversis nominibus donat, et moventem vel efficientem vocare solemus, apud mutabiles res vere et simpliciter esse causa dicitur. Quotiescumque enim res alia re efficitur, non est quod apud illam et quid sit et per quid sit discernas [4]. Dum moventem causam tenes, nihil tibi desiderandum superest;

1. II *An.*, I, 34, 89 b 10.
2. II *An.*, II, 19, 100 a 7.
3. II *An.*, I, 14, 79 a 17.
4. II *An.*, II, 2, 90 a 14; II *An.*, II, 8, 93 b 6.

ita, cum lumine per terræ umbram intercepto lunam deficere scias, lunaris defectus essentiam et definitionem simul notam habes, nam nihil aliud est defectus nisi ipsa luminis privatio propter umbræ a terra proficientis projectionem. Cujus est naturæ syllogismus, ejusdem erit naturæ causa illa. Cum syllogismi terminos adeo inter se disponi oporteat ut ad idem temporis genus referantur (nam si quid per præmissas sententias de rebus quæ factæ sunt affirmetur, nihil ad futuras concludi potest), tum causa non potest alius generis esse atque effectus, plerumque prior, aliquando eodem tempore nata, sed semper quæ præteritarum rerum est causa præterita ipsa, præsentium præsens, futurarum futura [1]. Præterea, cum necessitate syllogismus definiatur, movens causa erit necessaria, non tali tamen necessitate ut causa non possit alia fieri : nam, quemadmodum una conclusio per multos et diversos medios terminos demonstrari potest, ita effectu dato aliquam esse causam non vero semper eamdem est necessarium [2]. Tum etiam cave ne strictius loquaris : nam et logicæ per accidentia deductio et naturali necessitati fortuna opponitur; itaque non quod perpetuo et ubique fit, physica scientia datur, sed quod plerumque, solitum potius vocandum quam proprie necessarium; cujus contrarium non secluditur, sed exceptio tantum esse videtur et quasi derogatio. Unde movens causa universa esse dicetur, si quidem pro universitate major pars habebitur [3]. Ex his autem apparet nec physica scientia perfectam scientiæ speciem neque efficiente causa perfectam causæ præberi speciem. Cum enim mutabiles res sua existendi principia

1. II *An.*, II, 12, 95 a 36.
2. II *An.*, I, 29, 87 b 5.
3. II *An.*, I. 30, 87 b 19; II *An.*, II, 12, 96 a 8 sqq.

non ex se trahere queant, sed aliunde petere cogantur [1], nihil quod sibi sufficiat aut per se stet fixum atque immutabile apud mutabilium rerum scientiam reperire est. Vere necessarias, quæ quoque æternæ causæ sunt, metaphysica sola consequi valebit.

1. Cf. II *An.*, II, 9, 93 b 21.

CAPUT VI

MEDIUS TERMINUS EST FORMA

Sæpe oratori, ut rem aliquam esse demonstret, hanc rem non esse supponere, et quid inde fieri sequatur, explicare facilius est. Tum non veram esse suam sententiam, sed si non vera esset omnia falsa fieri, fides illi facienda : quod ratiocinandi genus ad absurdum deductio vocatur [1]. Deductio illa nihil continet quod scientiam redolere videatur; nam huic, quæ est demonstranda, contraria sententia pro principio ponitur; inde alia deducitur quam esse falsam jam est indubitatum. Medius terminus, dum ambas enuntiationes, quarum altera est falsa, altera vera, inter se necessario conjungit, ipse verus esse nequit. Attamen, velut exemplum aut signum, ad absurdum deductio non est omnino negligenda ; quamvis non sit syllogismus, omnia quibus syllogismus constituitur, habet [2].

1. I *An.*, 29, 45 a 35.
2. Cf. II *An.*, I, 26, 87 a 1 sqq.

Conclusioni enim quam falsam esse omnes concedunt, contrariam enuntiationem oppone, quæ ita necessario vera erit; ab illa nunc sume ratiocinandi initium, unde per eamdem minorem enuntiatio sequetur, vera et illi quæ apud deductionem ad absurdum refutanda supponebatur, contraria. Sic quotiescumque deductio ad impossibile fingitur, conversione recta demonstratio fingi potest, adeo ut altera ab altera non separari queat [1].

Si autem apud deductionem ad impossibile ducentem affirmativum quiddam suppositum erit, negativum concludetur. Negativo igitur facto syllogismo, res non aliter se habere certiores fimus, nunquam vero cur res ita se habeat, intelligimus; cognoscimus, non vere scimus; nam quæ est negandi ratio nequit esse vera ratio, quoniam negando nihil esse intelligitur vel ponitur, sed quod negatur semper ad aliud referri debet. Non autem semper eodem modo ad aliud refertur; quæ enim reipsa sunt cum finita sint, de illis infinita negare licet. His ex infinitis quædam longe a rei natura recedunt nec quidquam nostræ cognitioni addunt; quibusdam contra negatis rei natura melius intelligitur. Sic quotiescumque per hyperbolen fit sive ad impossibile deductio sive per syllogismum negatio, necessarium quiddam sequi potest; sed quare sequatur nullo modo cognoscitur, nam medius terminus longe a vera ratione distat, velut in illa sententia Anacharsidis : non reperiri apud Scythas tibicines quia non vites reperirentur [2]. Negatione in affirmationem conversa, nobis non recte a vitibus tibicines oriri erit fatendum. Sed contra cum idem terminus qui medius affirmantem syllogismum probare valet, apud negantem usurpatur, tum conclusionis

1. I *An.*, II, 14, 63 b 21.
2. II *An.*, I, 13, 78 b 28.

ratio reddi potest. Sic paries non respirare demonstratur quia non vivit; nam quidquid respirat, necesse est vivat [1]. Medius terminus *vivens* est vera concludendi ratio; idcirco in rerum natura causam quamdam exprimit; quæ quidem non est per se causa, sed oblique, nam rem non ponit, sed tollit, et rei absentiam secum trahit. Cum nullo modo per se sit causa nec quidquam agat, non eam videmus, sed suspicamur; materiæ proxima esse videtur, immerito tamen a Platone cum materie confusa est, a qua Aristoteles sedulo distinxit, et privationem, peculiari nomine illo donatam, haud semel inter causas numeravit [2]. Materies enim est sua natura contrariis subjecta, quæ pariter illi possunt addi; sed privatio e contrariis alterum prohibet. Quæ infinita erant, per illam finiuntur. Ita formæ pars est [3]; sed simul, sicut materies ipsa, cæca est, nam per illam non quid sit, sed quid non sit, tenemus. Quomodo vero materies in formam immutetur, sine privatione non intelligitur, ita ut ad physicarum rerum scientiam privatio spectet. Inde cognitu est facile quomodo per negantem rationem ad veram scientiam transeatur: nam, materie data, duæ species inter se opponuntur quibus eadem materies subjici possit, ita ut, cum perfecta contrarietas definita sit, altera specie negata altera necessario affirmetur [4]. Quare Aristoteles unam esse contrariorum scientiam existimat [5]. Quemadmodum enim ad veram causam rei præsentia, ita ad privationem absentia refertur. Negatione in affirmationem conversa, verus rerum ordo invenitur et privatione forma absolvitur. Ut Bonitzii verba usurpem, « privatio

1. II *An.*, 78 b 13 sqq.
2. *Ph.*, I, 7, 191 a 14; *M.* λ 1069 b 34 sqq.
3. *Ph.*, II, 1, 193 b 19.
4. M. ι 4, 1055 a 33.
5. M. ν. 2, 1009 a 9.

non est simplex ac nuda contradictio, sed contradictio ea quæ per naturam substantiæ ad eam recipiendam idoneæ definita ac distincta est vel eam ipsam simul in se complectitur [1] ».

Sic ad affirmativum syllogismum considerandum adducimur, qui e deductione ad impossibile ubi negativum aliquid supponitur, per conversionem trahitur. Talis syllogismus negativo ratiocinandi modo quem privatio postulabat, est necessario perfectior : nam demonstratio, dummodo sit universalis, ut quæque paucissima principia sumit, ita est perfectissima. Ut autem negative concludatur, e duabus præmissis sententiis una affirmativa esse debet; cum tibi nihil affirmare licebit, nisi prius nihil negaveris, negatio contra affirmationem præ se requirit: unde affirmativa propositio per quam negativa demonstratur, est illa prior et cognitu facilior et fide dignior [2]. Non vero inde sequitur omnem syllogismum cujus et universalis et affirmativa sit conclusio, perfectam demonstrationis præbere speciem; nam non semper eodem modo præmissæ sententiæ disponuntur; verbi gratia, tum hominem omnem esse rationabilem, tum rationabilem omnem esse hominem affirmare licet, quæ sententiæ ambæ veræ sunt dicendæ. Sed, si quidem veritas, non vis apud unam eadem est atque apud alteram. *Rationabile* ei est proprium qui per se est *homo*, ita ut de *homine rationabile* prædicari debeat; sed *rationabili* esse subjecto tantum accidit, de quo nonnisi accidenti modo *homo* prædicabitur [3]. Ita is syllogismus dari potest qui nihil nisi accidentia concludere valeat : sic, cum omnem musicum esse hominem, omnem

1. *Arist. metaph.*, vol. II, p. 433.
2. II *An.*, I, 25, 86 b 29.
3. Cf. II *An.*, I, 4, 73 a 34 sqq.

autem hominem esse bipedem, supponatur, inde sequitur omnem musicum esse bipedem; quam enuntiationem esse quidem veram, cur autem sit vera nos omnino ignorare, simul fatendum est. Qui est musicus, bipes quoque vocabitur, non vero quia musicus : apud homines musicus et bipes simul reperiuntur, verum nulla necessitate conjunguntur [1]; earum rerum quibus fieri accidit, rei ipsi quæ causa est, accidit esse causæ [2]. Sed accidentium rerum nulla est scientia. Qui accidentia solum assequi et connectere solet, sophisticæ vel dialecticæ artis magister fortasse dicetur [3]; sed ille bono jure philosophus nominabitur qui ex his accidentibus ad ea quæ jam non accidentia sunt ascendere valet. Jam autem, nam apud quamque causam accidentia dari possunt, nobis in manu erant multa ratiocinandi genera quæ sive per exemplum sive per signum sive per hyperbolen ad accidentia solum mentem ducebant unde tamen per conversionem vera scientia trahebatur. Ubi igitur de rebus proprie accidentibus agitur, nonne idem conversioni tribuetur officium? nonne conversione facta syllogismus e sophistarum aut dialecticorum joco in demonstrationem et scientiam evadet? Nam si de *musico hominem* prædicari acciderit, de *homine musicus* prædicabitur, non autem quia accidebat, sed quia quoad absolutum rerum ordinem ita se habet. Non quidem semper talis est conversio per quam ad veram rerum naturam accedamus; sententiæ enim quædam ejusmodi sunt ut conversæ nihil aliud nisi accidentia ad alia accidentia referant : verbi gratia, postquam affirmaveris aliquot rationabiles esse bipedes, reciprocatis terminis tibi aliquot bipedes esse rationabiles

1. M. γ 4, 1007 a 32.
2. M. ε 22, 1027 a 7.
3. M. κ 3, 1061 b 7.

affirmare licebit; sed nullo modo scientiæ propinquior fies quam antea, nam apud utramque enuntiationem duo termini nonnisi per accidens vinculum conjunguntur. Quotiescumque accidentia de accidentibus affirmantur, nondum ad scientiam pervenitur, ita ut, si accidentia accidentibus in infinitum acciderent, nunquam ulla scientia nasci posset [1]. Sed hæc mentis in infinitum regressio apud rerum naturam non dari potest, nam infinita cogitando percurrere non licet [2] : res in certum generum numerum rediguntur per quæ solum comprehenduntur et quæ celeberrimo hoc nomine « categoriæ » donavit Aristoteles [3]. Quæ accidunt non possunt nisi apud unum horum generum accidere, unde fit ut per categoriam quamdam mente comprehendantur, et ita ad primum quoddam genus reduci queant, quo postea tanquam initio ad verum rerum ordinem disponendum uti licebit, et quod ita scientiæ principium fiet.

Quæ sit veri ordinis et perfectæ demonstrationis ratio, facile intelligetur e scientia illa quæ omnium est simplicissima, id est e numerorum scientia. Nam quemadmodum magis quam physica, velut harmonia, quæ de subjecto quodam agit, mathematica est simplex quia subjectam rem negligit [4], ita inter mathematicarum rerum disciplinas magis quam geometria quæ res in spatio ponit, simplex est arithmetica quæ non in spatio apponit, sed in mente quasi puras ideas considerat [5]. Exempli igitur gratia, nobis esse quærendum quid sit ternio supponatur; quomodo numerorum scientia procedet [6]? Primum ternionem ad genus

1. M. γ 4, 1007 b 3.
2. II *An.*, I, 22, 83 b 6.
3. *Ibid.*, 83 b 15. Cf. *Catég.*, 4, 1 b 25.
4. II *An.*, I, 27, 87 a 33.
5. II *An.*, I, 13, 79, a 7; cf. M. A. 2, 982 a 27.
6. II *An.*, II, 13, 96 a 17 sqq.

suum, scilicet ad numerum, referemus; postea quæ sunt numero propria, ita ut in eodem genere semper maneamus, sumemus, quorum unumquodque est per se universum et ad plures quam ad ternionem extenditur, sed quæ conjuncta unice ternioni illi conveniunt; ita ternio est numerus et utroque modo primus, scilicet et quod non numero mensuratur et non numeris componitur [unitatem apud Græcos non numerum vocari memento]; nam alii numeri sunt impares, binarius numerus est quoque utroque modo primus, non vero impar; ternio sola est simul impar et ita prima. Hac igitur ratione quid sit ternio per definitionem tenemus, unde, quæ ternioni conveniant, concludere licebit [1] : conclusio illa, cum ab ipsa ternionis natura deprompta fuerit, affirmativa necessario erit et simul universalis; non huic aut illi, sed unicuique ternioni conveniet. Quemadmodum medicus scit quid non meis aut tuis, sed omnibus omnium oculis sit salubre [2], ita qui mathematicarum rerum est peritus, non de ternione una, sed de omni ternione eodem jure affirmabit. Quare definitio a qua syllogismus medium suum terminum petit, perfectæ scientiæ est principium. Perfectæ huic scientiæ respondet absoluta causa; medius igitur terminus erit res ipsa utpote intellectu capta, scilicet hoc præbebit cur res ita sese habeat, vel, ut scholæ verbum usurpem, rei essentiam. Sic ternio non in hac aut in illa qualitate consistit, nam non per unam qualitatem definitur; sed dum duæ qualitates (impar et primus) invicem sibi terminos ponunt, e mutua definitione unum aliquid oritur quod fit ipsa rei essentia [3]; quæ sunt illi propria et quæ illi accidunt ab illa essentia

1. II *An.* II, 14, 98 a 1 sqq.
2. II *An.*, II, 13, 97 b 26; cf. M. A. 1, 981 a 15.
3. II *An.*, II, 13, 96 b 6.

pendent, quæ nomine « forma » inter causas numerari solet. Per formam non tantum scitur rem esse, sed quid sit, non tantum conclusionem esse veram, sed cur sit vera. Sit, verbi gratia, demonstrandum trianguli angulos duobus rectis æquales esse, si hoc unice demonstraveris quia dati trianguli cujusdam mensuram feceris, nihil nisi singularia vel accidentia comprehendes, nullam tenebis essentiam; etiam si ex eo quod « æquicrurius » est demonstrationem hauseris, nihil universaliter affirmare poteris; si vero triangulus quatenus triangulus tres suos angulos duobus rectis æquales habere demonstratus erit, tum intelliges cur triangulo hæc proprietas tribuenda sit, tunc tibi vera erit scientia quæ est et affirmans et universa [1]. Quo magis universa erit demonstratio, eo perfectior erit scientia, cum etiam ad res nullo nomine designatas mentem evehat. Sic, ut sagacissimi commentatoris verba usurpem, « erit fortasse qui proportionis membra inter se converti seorsum recte probari opinetur in arithmetica de numeris, in geometria de lineis, in stereometria de corporibus, in physica de temporibus, quod revera factum est, quanquam quod longe rectius est una demonstratione hæc omnia complecti licet. Sed quum non unum esset nomen quo significaretur id quod his omnibus commune esset, seorsum idem de singulis demonstrabatur. Quæ quidem demonstrationes in unum conjungendæ sunt; nam quod demonstratur (proportionis membra converti) id non de numeris demonstratur quatenus numeri sunt neque de lineis quatenus lineæ, sed demonstratio pertinet ad id quod commune est numeris lineis corporibus temporibus [2]. »

1. II *An.*, I, 4, 73 a 31 sqq.
2. Waitz, ad 74 a 18, *Organon*, vol. II, p 316.

Nonne ita e singularibus ad universa Aristotelis syllogismus semper magis et magis procedere, et Platonicam dialecticam imitari videtur? Sane Plato veram causam existimavit esse formam qua res in se arripiantur, sed mathematicarum rerum exemplo deceptus, recto hoc principio non recte usus est [1]; nam quodque est et simplicisssimum et plurimis commune, et intelligendi et existendi rationem fecit, adeo ut ad universa genera, postea ad generalissima genera, denique ad τὸ ὄν et ad Unum quod est per se unum mens perveniat. Hac via dialecticus se supra ceteras scientias ascendisse fingebat, qui extra omnem scientiam pæne ad sophistam descenderat [2]; nam, cum consideret quid sit omnibus rebus commune, nihil quod aliquam rem proprie et unice constituat, mente tenet, neque ullam essentiam intelligit, sed tantum quæ rei accidunt et apud ceteras quoque reperiuntur. Quinetiam non scientiæ aut rerum communia genera esse principia possunt, quod Plato ipse libenter consentiret si ad rectam demonstrandi methodum animadvertisset; nam apud syllogismum genus est necessario extremus terminus, quapropter non potest esse causa. Nunquam enim per genus concluditur, sed in genere affirmatur. Genus est quasi materies, contrariis subjecta et utriusque formæ pariter patiens [3]; ut finiatur et perfectum aliquid fiat, ita moveri debet ut de eadem re et altera negetur, quæ est privatio, et altera affirmetur, quæ proprie formalis causa dicitur. Ut causa hæc recte arripiatur, a genere profisciscendum quod primum est [4]; si enim primum genus ante cetera fuerit sumptum, ordo erit qui debet

1. M. μ 2, 1077 b 1.
2. M. γ 2, 1004 b 7.
3. M. ζ 7, 1033 a 4.
4. II *An.*, II, 13, 96 b 15 sqq.

esse; tum elementa quoad speciem simplicissima et quasi individua sunt percurrenda; inter illa quæ de primo illo genere protinus affirmari possunt, unum rejicietur, alterum retinebitur quod generi sicut differentia addetur; paulatim per talem progressum, nullo prætermisso gradu, omnia continenti catena conjungentur donec ad ultimam differentiam perveniatur, extra quam si egredi conatus eris, extra rem ipsam eris evectus. Sic si ab animale profectus eris, non omni animali aut integras divisas aut divisas alas esse pones, sed omne animal aut avem aut non avem esse; postea avi aut hujus aut illius modi alas esse; adeo, quamvis non scias quomodo omnia omnibus dissimilia sint, attamem recta divisione certus ordo disponitur secundum quem omnia a primo genere usque ad ultimam differentiam congregantur et unicam atque integram definitionis rationem constituunt; nam non genus sine differentia nec sine genere differentia vera essentia dici potest.

Sed, cum simul et differentia et genus, quorum unitas ipso definitionis ordine postulatur, reperiri debeant, quomodo in unum redigi possunt? Hæc nova quæstio ab Aristotele proponitur, unde pendet veræ causæ intelligentia quæ genus et differentiam in se continebit et per se aliquid unum erit. Quam per quæstionem intelligitur quomodo Aristoteles ad investigandam formæ naturam sit adductus. Dum enim ex mathematica scientia unice forma petitur, essentiæ ratio in mente ipsa non in rebus inveniri potest; nam mathematicæ notiones nullum subjectum requirunt, sunt ideæ, dixit Aristoteles ipse. Quapropter mathematica studia non Aristoteles contempsit, ut vulgo sed immerito putatur; quam sedulo ternionis aut trianguli definitioni incubuerit, jam antea patuit; sed res non esse ideas vult.

Itaque non menti ipsi, notionibus inter se adjectis, res fabricare licebit; quæ in mente sunt, nihili sunt nisi ad quidquam referantur quod per se existat, quod de nulla re affirmetur sed de quo cetera affirmentur [1]. In re est aliquid quod extra intellectum semper manere debet, quod est intelligendis notionibus subjectum, quod est uno verbo materies. Tota res, sive proprie substantia, formam et materiem simul in se comprehendit [2]; materie sublata tollitur substantia, nec quidquam superest nisi quædam in intellectu species et quasi umbra. Qui *quanta* aut *qualia* tantum cognoscit, quædam circa rem, non rem ipsam mente tenet; ut aliquid assequatur quæ vere res sit, alia sumenda sunt ac *quanta* et *qualia*; alio igitur modo res sunt considerandæ. Quare, quod Plato non intellexerat, non solum non omnia in unum genus redigere licet, sed inter diversa rerum genera, quibus tot affirmandi modi vel categoriæ respondent, unum seorsum poni debet quod a ceteris adeo differt ut illis pæne contrarium esse videatur, scilicet substantia [3]. Mathematici qui quantæ, physici qui quales res sint, quærunt, nonnisi secundas substantias sibi proponunt [4]; sed primam, quæ sola est proprie substantia, corripere et, quid sit res in semetipsa, dicere, illud est metaphysici proprium. Hoc igitur Aristotelis doctrina definitur et Platonicæ disciplinæ opponitur, quod non apud genus neque etiam apud differentias vera rei ratio et unitas residet, sed apud subjectum quoddam ubi omnia conjuncta una dantur, hoc est apud individuum [5]. Nam genus in

1. M. ζ 3, 1029 a 8.
2. M. ζ 10, 1035 a 2.
3. II *An.*, I, 21, 83 a 24 sqq.; M. ζ 1, 1028 a 18.
4. *Cat.*, 5, 2 a 14.
5. *De gen. an.*, II, 1, 731 b 34; IV, 3, 767 b 33; cf. Ravaisson, *Essai*, vol. I, p. 527.

omnibus invenitur, differentiarum unaquæque, vel ultima, universa manet; sed hujus et illarum unio per individuum apparet. Individuum autem cum sensu cernatur, usque ad sensum progredi et a sensu petere oportet quomodo substantia per se aliquid esse et existere possit. Sed, dum nihil quod reipsa existat, extra sensum apprehendere poteris, nihil, si sensu contentus eris, intelliges. Quæ uno intuitu mixta videris, postea dividas opus est ut ad prima genera pervenias, quæ intellectu facillima sunt et sciendi principia bono jure vocantur. Sed contra genera illa, cum ab unaquaque re existente abstraxeris, vera existentia destituuntur : quæ communia sunt nihil per se nisi vana et inania. Quare substantia tunc per genus, id est per ideam, tunc per subjectum, id est per materiem definitur, proprie autem neque idea nec materies est, sed simul quia simul et intelligi potest et reipsa existit, et idea et materies. Genus et individuum sunt pariter ultimi termini; utrumque igitur a vera causa alienum, nam vera causa in eo residet per quod mens ab hoc ad illum terminum transit, scilicet in medio. Species quia generi continet, intelligitur; quia individuo, revera existit : quapropter hæc est una cognoscendi simul atque existendi ratio, per quam substantia et intelligitur et existit.

Itaque illa substantiæ notio quam Aristoteles ipse variis et nonnunquam inter se contrariis verbis exposuit[1], multo etiam magis diversis modis commentatores recidere conati sunt, facile et clare apparebit, si in totum syllogismum explicata erit. Sit pro exemplo : animal est omnis homo, homo autem est Callias. Ibi duplex est mentis officium quod unaquæque præmissarum sententiarum exprimit. Prius Cal-

1. Cf. *Bonitzii indicem*, 544 b 60.

lias oculis adspicitur, sed simul atque Calliam videt, mens in Callia hominem intuetur : hæc visio qua statim sua ex individuo quolibet essentia trahitur, est vera inductio. Cum repentina sit, nullo intervallo inter oculi aciem et animi contuitum interjecto, illa enuntiatio : hominem esse Calliam, tanquam ἄμεσος ἀρχὴ affirmari potest[1]. Cum e tota substantia materiem et formam in se conjungente forma sic hauriatur, per illam enuntiationem, quæ apud syllogismum est minor, formam hanc vel speciem esse certiores fimus. Quid vero sit, per majorem propositionem cognoscemus; nam si ad hanc formam nostram cogitandi vim intendemus, quæ propria in se comprehendat, paulatim intelligemus. Ita, cum apud hominem animal aut rationabile aut bipes reperitur, major sumitur propositio per quam ad hominem hæc proprietas referatur, per quam igitur de specie genus quoddam affirmabitur. Quæ relatio inter genus et speciem necessario legitima erit; nam quæ sunt in essentia rei, in τῷ τί ἦν εἶναι, vel etiam quæ proprie rei accidunt, per categorias definiuntur et ita ad finitum generum numerum reduci possunt; quapropter inter illa ordinem disponere licet, adeo ut aliud ab alio pendere videatur, et continua demonstratione facta hæc catena semper arctius adstringatur, donec in unum et simplex vinculum evadat, et major propositio fiat quoque ἄμεσος ἀρχή[2].

Ita syllogismus perficitur, non per quem essentia demonstretur, sed per quem essentia patet; medius terminus est definitio quæ est syllogismi ratio. Res enim per essentiam intelligitur, quæ proprie est forma; sed quæ isti

1. II *An.*, II, 19, 100 a 16.
2. II *An.*, I, 23, 84 b 34.

formæ respondet, duplex est materies[1] : νοητὴ ὕλη logicas partes continet quarum unitas definitionem constituit, αἰσθητὴ ὕλη essentiæ existentiam addit, substantiamque non solum in intellectu, sed in re ponit. Quare syllogismus nihil aliud est nisi definitio, nedum definitionem demonstret; sed definitio syllogismum implicat, syllogismus definitionem explicat. Talem apud syllogismum medius terminus ad semet ipsum refertur, nunc tanquam ad intellectum, nunc tanquam ad revera existentem : quapropter forma ad nihil exterum refertur, sed suimet ipsius causa dicenda est[2].

1. M. ζ 10, 1036 a 9.
2. II *An.*, I, 24, 85 b 25.

CAPUT VII

NUM MEDIUS TERMINUS SIT FINIS, QUÆRITUR

Forma, cum absolute sit causa (nam qui quid res sit cognoscit, simul cur sit tenet) non tamen ultima esse causa potest. Aristoteles enim non solum id quo Plato contentus erat, scilicet qua ratione res intelligantur, quærit, sed etiam et præcipue qua ratione agant et se perpetua mutatione mutent. Platonis ideæ in cœlo inertes atque inutiles manent [1]; formæ movendi atque agendi causæ debent esse, adeo ut quæ formales, finales quoque dici possint. Nam quamvis temporis ordine forma e materie erumpere et paulatim oculis se ostendere videatur, reipsa quæ perfecta sunt non imperfectis producuntur; materies non moveri posset nisi aliquid prius daretur cujus perfectio motus hujus redderet rationem; homo e puero exire videtur [2], sed ab homine puer generatur, in quo intima est crescendi vis per quam ad suam formam tendit [3]; hæc vis

1. M. ζ 8, 1033 b 26.
2. M. α 2, 994 a 25.
3. M. ζ 7, 1032 a 25.

quæ sensum latet, sed mente vera vivendi et agendi ratio esse intelligitur, finis ab Aristotele vocatur; cujus finis (quamquam jam Pythagoræi suspicati sunt, ubicumque movens causa necessario efficax esse videatur[1], ibi finem quoque esse veram mutationis causam), quasi suam propriam inventionem vindicat. Itaque non mirandum est si syllogismus ad finem sit aptus; ita : ut bene valeamus alimenta non supernatare debent; ne autem supernatent, ambulandum est; ergo, ut bene valeamus, ambulandum est[2]. Motum per quem ad finem pervenitur, cum a maximo ad minimum terminum fiat, syllogismus fideliter exprimit, adeo ut hic etiam logica scientia metaphysicæ doctrinæ respondeat. Sed quomodo causam esse medium terminum contenderemus, cum jam nomine suo finis et medius secum repugnent? Quæstionem illam Aristoteles non tantum non solvisse sed etiam non tetigisse videtur; dicit quidem apud *Posteriora Analytica* terminorum ordinem in moventis causæ syllogismo ordini contrarium esse, quem finalis causæ syllogismus postulat : sic et ambulandi consuetudine valetudo efficitur, et valetudinis causa ambulari oportet, unde duo hæc syllogismorum genera inter se converti possunt; sed simul extremum terminum manere finem fatetur[3]. Attamen, si quid commentatori pro magistro dicere licebit, quædam ad difficultatem explanandam pertinere poterunt. Non semper enim finis extra medium terminum versatur, sed id a quo vera causæ virtus pendet, in medio termino ponitur. Ubi, verbi gratia, sculptæ statuæ finis invenietur? Forma statuæ est pura idea quæ per se solam nullam vim ad agendum habet; sed qui est efficax

1. II *An.*, II, 11, 94 b 33.
2. *Ibid.*, b 18.
3. *Ibid.*, b 25. Cf. Waitz, vol. II, p. 409.

venustatis amor, in sculpente residet, qui simul erit dicendus, et inter formam qua marmor ornare conatur ac materiem quæ hanc formam recipiet, medius terminus, et, quoniam idem finem sibi proponit atque habet unde eum efficiat, vera agendi causa. Nonne etiam rerum natura artem quasi imitari videtur? Substantia enim cum sit existendi principium haud secus atque agendi initium, perficiendi finem in se habet; medicus qui semet ipsum curat, præbet exemplar quod unusquisque animans sequitur [1]. Omne enim animal, et corpus possidet quo tanquam materie utitur ad finem suum assequendum, et animam quæ materici illius est forma finem sibi proponit. Inde quid sit homo ita apparebit : si in eo immobilis substantia considerabitur, inter genus et individuum medius terminus erit; si contra vita et actio, inter animam et corpus medius terminus, atque ideo duplex erit causa, efficiens quia corpus habet, finalis quia animam. Eodem modo quodcumque vivit et spirat ad suum finem sponte sua tendit et suimet ipsius finalis est causa.

Quem quidem medium terminum non proprie logicum, sed reipsa metaphysicum esse nos non latet; sed nonne apud Aristotelem logica disciplina veram suam vim e metaphysica trahit? ita ut ad integram Aristotelis sententiam intelligendam non modo nos e logicis rebus egredi liceat, sed etiam egressos metaphysicam doctrinam usque ad culmen suum persequi oporteat; ubi tantum vera et logicæ et metaphysicæ scientiæ unitas mente comprehenditur. Non enim semper suus in animali ipso finis manere et residere intelligitur; nam in natura rerum non multæ substantiæ dari possunt aliæ ab aliis separatæ et singulæ ad peculiarem suum finem tendentes : mundus enim non est

1. *Ph.*, II, 1, 192 b 24.

quasi male composita et diversis neque inter se cohærentibus partibus fabricata tragœdia [1] : omnia in unum coeunt, quia communis est omnium rerum finis. Hic finis non est tantum in unoquoque ; sed simul in se esse et per se valere debet [2] ; si animal ad animam ipsam tendit, hoc est quod anima ipsa extra corpus existere, et vicissim tanquam materies ad mentem tendere potest. Sed, ut mens animæ sit finis, extra animam pura mens existat oportet, quæ sibimet ipsi tantum est finis : semper agit, semper se perfecte assequitur, qui actus est cogitationis cogitatio [3]. Tum materies omnino evanescit : ultimus terminus qui ab unoquoque vivente tanquam finis optatur, idem fit ac vivens ipse ; non nisi sibi subjectus est, unde, extremis terminis in unum conjunctis, non jam medius seorsum discernitur, sed ipsa actio qua statim et protinus ab initio ad finem transitur medius terminus dici potest. Sic mens est rerum principium, cujus existentia universæ naturæ suam dat rationem : nihil enim in natura rerum existit nisi quia ad mentem tanquam optabilem tendit, et quatenus cupiditate sua mentis hujus particeps fit [4]. Ex quo sequitur apud ultimum scientiæ gradum quod cognoscitur et quod cognoscit in unum coire, neque alterum ab altero separari posse [5]. Ultimo syllogismo, ut verbum hoc etiam usurpem, unde tota omnium syllogismorum catena pendet, comprehenditur mens ipsa syllogismi creatrix. Æternus igitur et vivens est syllogismus, ubi mens quæ veram in se essentiam intelligere valet, sese tanquam intelligendam rem sine medio termino intuetur : hic syllogismus est Deus.

1. M. λ 10, 1076 a 1.
2. *De anim. gen.*, II, 3, 376 b 28.
3. M. λ 9, 1074 b 34.
4. *De an.*, III, 10, 433 a 9 sqq.
5. M. λ 9, 1075 a 5.

CAPUT VIII

CONCLUSIO

Qui philosophiæ historiam scribere studet, irritum tentaret opus, si insignium philosophorum opiniones tantum colligeret et transcriberet; sed quomodo cujusque doctrinæ diversæ partes inter se connectantur, etiam se invicem genuerint, sic intelligere conabitur ut intimus mentis labor perspicuus fiat. Ad hanc rem primum est considerandum quid philosophus ipse de vero et de mentis potestate ad verum assequendum, de methodo, ut breviter dicam, censuerit. A methodo enim omnis disciplinæ compositio pendet. Sed plerumque idem philosophus qui singulas sententias certa quadam ratione demonstrat, non in illa ratione vim esse demonstrandi demonstrat; quod vero postulat, et sæpe se postulare ignorat, hoc interpreti est instaurandum et explicandum; quod si tenebit, legem habebit secundum quam omnis disciplina composita fuit.

Principium a quo tota Aristotelis doctrina ducitur, nobis sine dubio comprehendi visum est : nam apud primum in prima figura syllogismi modum, cujus simul et affirmativa et universalis est conclusio, idem est in mente inter notiones ordo qui est in natura inter res. Cum igitur in syllogismo animal et bipes et homo connectantur, ratio intelligendi rationem existendi reddit. Syllogismo igitur verum quiddam inest cujus fons non est in mente, sed extra mentem; res ipsæ syllogismo comprehenduntur, et simul syllogismo subjacent. Sed humana mens res non per syllogismos cognoscere cœpit; a sensibus progreditur, qui singula solum capiunt; non sine magno et longo labore ad generalia et ad principia inducendo pervenit, unde tum vera scientia suum trahet initium. Sic processus quo intelligentia crescit non veræ rerum naturæ respondet; quod universam Aristotelis philosophiam in maximum periculum adduceret, nisi Aristoteles duos cognoscendi ordines penitus discrevisset, scilicet alterum qui ad nos spectat, alterum qui est simpliciter et in se [1]. Ille tantum ad humanæ mentis infirmitatem aptus est, et ad tempus valet; hic vero absolute et in æternum per se stat, quem ubi mens assecuta est, tum intellectus et res congruunt, et in unum coeunt.

Aristoteli igitur probanda est illa divisio in qua tota sua ratio nititur, scilicet monstrandum est quomodo ab ordine quoad nos ad verum ordinem transeatur. Atqui per terminorum reciprocationem inductio vel imperfectum quodvis ratiocinandi genus in syllogismum convertitur : quotiescumque terminum medii vice fungentem invenimus, convertendi arte usi, hunc causæ esse participem explicavimus;

1. *Phys.*, I, 1, 184 a 16.

unde logica scientia et metaphysica doctrina omnino inter se convenire visæ sunt, adeo ut tota Aristotelis philosophia, cum suum ab illa convenientia petat principium et firmamentum, tanti valere dicenda sit quanti ars ipsa convertendi.

Quare nobis, si quæ hactenus nihil aliud nisi explicare conati sumus jam judicare audebimus, hoc unice quid sibi velit hæc reciprocatio terminorum, erit quærendum. Dum autem ad *Priora Analytica* animum intendimus, hanc reciprocationem Aristotelem nullo modo probavisse plane videmus. Ita est conversio, quia ita est. Primo enim adspectu patet, cum mortales esse omnes homines affirmentur, homines esse aliquot mortales non posse negari. Quod sane concedo ; sed qua ratione a priore sententia ad posteriorem transitum sit, non mihi ostensum est : fortasse ratiocinandi genus quoddam intervenit quod me fugit. Nam conversio, etiamsi ad Aristotelicæ doctrinæ principia respiciam, haud parvam præbet difficultatem. Termini enim, ut reciprocatio nullo medio termino interposito per se intelligatur, natura omnino similes esse debent. Ita mathematici, postquam nihil inter æquales numeros interesse supposuerunt, alterum pro altero succedere posse probant. Sed apud enuntiationem quam Aristoteles fecit enuntiandi normam et perfectum exemplar, subjecto substantia et prædicato proprietas quædam exprimitur; dum igitur de *homine mortale* affirmatur, ad illa quæ per se existunt quæ nonnisi per aliud existunt, ut debetur, referuntur; idcirco sententia hæc verum rerum ordinem reddere dicta est. Terminis vero reciprocatis, *mortale* quasi *substantia* fiet, cui humanitas attribuetur : quod nobis, Aristotele ipso auctore, rerum naturæ repugnare fatendum erit. Quare num sententia illa ubi substantia in qualitatem, qualitas in substan-

tiam inversa est, pristinam suam vim servare queat, quærere non supervacuum aut inane nemini videbitur. Conversionis igitur tentanda est resolutio, quæ reipsa nuper tam acute et tam perspicue effecta est ut nihil amplius desideraretur [1]. Quando enim terminus *mortale* tunc proprietatem tunc substantiam quamdam exprimere dicitur, non vere idem est terminus; nam ubi verba solum non autem sensus similes sunt, nequaquam eadem potest esse notio. Similitudo quæ ab Aristotele postulatur, per peculiarem sententiam explicari debet, quæ apud hunc tertiæ figuræ syllogismum majoris locum obtinebit : homo est omnis homo, mortalis autem est omnis homo, unde sequitur hominem esse mortalem quemdam (sive mortales aliquot). Sic conversio, in qua nullum mentis esse laborem sed primo adspectu et sine medio termino apparere mutationis rationem Aristoteli placebat, reipsa per syllogismum explicari et probari debet; idcirco, ut imperfecta syllogismi genera in perfectam formam redigantur, non simplex mentis actio, sed proprie syllogismus interponendus est, qui ipse, velut apud propositum exemplum fit, imperfectus est syllogismus. Quod sane Aristoteli negare haud liceret; nam nova illa de conversione doctrina ex *Organi* principiis quasi deprompta esse videtur. Etenim Aristoteles enuntiationem, quatenus apud illam substantia et qualitas altera ab altera discernantur, rerum naturæ respondere et vere intelligi demonstravit; sed, quoniam a vi metaphysica logica vis pendet, ubi prior differt, quomodo posterior quoque non differret? Subjectum igitur et prædicatum nullo modo æquiparari possunt; unde terminorum reciprocatio nihil manifestum aut indubitatum præbebit, sed probationis genus quoddam postulabit, sci-

1. Vide Lachelier, *Étude sur la théorie du syllogisme*, ap. *Revue philosophique*, anno M DCCC LXXVI, p. 468 sqq.

licet, quia non sine medio termino ratiocinari licere Aristoteli assentimur, syllogismi genus quoddam postulabit. Tunc, cum hinc Aristotelem, quatenus per logicam scientiam ad metaphysicam rerum cognitionem pervenire conatur, convertendi arte quasi cardine uti, illinc conversionem illam non reipsa sibi sufficere, sed syllogismum requirere et ita propria sua vi destitui demonstratum sit, nonne ad breve hoc argumentum tota nostra disputatio spectat, ut Aristotelicæ doctrinæ fundamentum protinus evertatur? Quo everso omnia quæ sedulo et subtiliter superstruxit corruunt.

Illud autem argumentum sane brevius et simplicius esse putabitur quam ut magna illa Aristotelis doctrina ita refellatur et coarguatur. Nam, ut conversio in syllogismum redigenda sit, dummodo justa esse concedatur, non doctrinæ ipsius veritas in periculum adduci potest, sed tantum forma exponendi; idcirco Aristotelis philosophia non abjici, sed emendari debebit. Nisi forte philosophica illa Aristotelis ratio inter se adeo cohærentibus partibus componatur ut non se emendari patiatur, sed, simul atque emendari cœpta, pæne tota subvertenda sit. Nam, ubi conversio non per se intelligitur, sed in imperfectum syllogismi genus redigi debet, sive imperfectum hunc syllogismum, a perfecta forma separatum, probari affirmas sive negas, non eadem hæc ratio, quam Aristoteles demonstravisse arbitrabatur, inter cognoscendi ordinem et existendi ordinem servari poterit, unde non jam et logicam et metaphysicam scientiam conjungere licebit. Prius enim inductionem et cetera syllogismorum imperfecta genera nullam in se retinere virtutem, ut Aristoteli placuisse videtur, suppone. Tum quomodo veram rerum naturam humana mens assequi valet? Non enim universa rerum genera intueri

cœpit, sed ad genus per inductionem ascendit; si vero inferiore illa cognoscendi via destituetur vel falletur, numquam principia tenebit unde perfectus syllogismus constituatur. Ita non jam mens et sensus in unum coeunt; non e singularibus rebus veram essentiam detrahere licet; sed nihil nobis in manu manet nisi accidentia, quorum cogitatio non philosopho sed sophista digna dicenda est. Ita cognoscendi ordo atque existendi ordo, qui ab Aristotele adeo per simplicem terminorum reciprocationem conjungebantur ut prior in posteriore niteretur vimque metaphysicam ab illo mutuaretur, ac posterior per priorem mente comprehenderetur, nunc conversione in syllogismum redacta separantur : res, quatenus existunt, non cognoscuntur ; quatenus vero cognoscuntur, non existunt.

Posterius contra, ab Aristotelis doctrina ad verbum accepta egressus, imperfectas syllogismi formas per se demonstrari et probari posse, ut fere omnes logici hodie consentiunt, suppone. Illis sane ad res vere cognoscendas uti licebit; non autem, quem absolutum rerum ordinem Aristoteles vocavit, desiderabunt; nam non a perfecto syllogismo qui in prima figura et per primum modum tantum demonstratur, ceteræ ratiocinandi formæ pendebunt; sed in ordine cognoscendi et in ordine existendi omnino par erit virtus. Itaque, dum inductio e singularibus rebus communia quædam concludit, non jam communia illa veræ rei essentiæ respondere opus erit; scientia quidem nihil aliud quam accidentia rerum assequetur, sed, postquam accidentia necessario vinculo conjunxerit, nihil amplius requiret ; substantiam, cum non postulet, ignorabit. Quare metaphysicarum rerum mundus, ubi ad illum velut ad suum fundamentum ordo cognoscendi non referetur, ipse

solido suo fundamento destituetur. Nam (nisi hanc humanæ mentis facultatem dari fingas, ut essentiam et substantiam uno intuitu comprehendat) nihil tenebitur unde mundus ille necessario existere demonstretur. Aristoteli igitur, quod ipse Platoni objecit, bono jure objiciendum esse videbitur, scilicet, qui sensibilium rerum ordini metaphysicarum rerum ordinem quemdam superstruat, eum quæstionem non solvere, sed proprie duplicare.

Denique ne nos de Aristotelica disciplina gratuitam atque inanem controversiam constituisse putes, tibi ad philosophiæ historiam respicere licet, quæ philosophicæ cujusque disciplinæ ingenua testis atque arbitra vocanda est. Nam quidquid est verum, fecundum quoque est. Non autem hoc probari opus est, quod omnes sane concedunt, scilicet et qui syllogismorum arti sese applicaverint, eos omnino a rerum scientia alienos mansisse, et qui in scientia profecerint, eos se ab arte syllogismorum avertisse. Etenim dum philosophi non quæ ipsi cogitaverant sed quæ Aristoteles magister ipse dixerat pro certo habebant, nihil aliud nisi terminos et enuntiationes in justam formam redigebant, nec sane ullum convertendi genus illos fugiebat; sed quo sedulius et subtilius ratiocinabantur, eo minus quidquam veri cognoscebant; notiones enim diversis modis inter se conjungebant, nulla rerum habita ratione. Quæ apud Scholam mente philosophi tenebant, nonnisi verba erant; quibus res occultantibus prohibebantur ne quidquam scirent, adeo ut syllogismi ars certissima ignorandi via bono jure dicenda sit.

Quid contra, ubi e scholastico sepulcro humana mens evadit? Hinc Baco fecundam esse in scientia rerum non affirmationem sed negationem probat; nam Deus solus

simpliciter affirmando res cognoscit, homo vero « per rejectiones debitas » ad verum procedere debet [1]; qui inducendo præsentia considerat, absentia vero negligit, se in errorem ipse immittit. Illinc Cartesius non reipsa a toto ad partes deduci demonstrat; sed mathematica ars, quæ nobis verum scientiæ præbet exemplar, nullo modo illa ad quæ notio extenditur, sed quæ notio comprehendit, numerat; non ad universa et ad species philosophus tendere debet, sed ad singulares notiones quæ simplicia rerum elementa exprimunt. Ita syllogismus quo nemo jam nisi exponendi arte utitur, in irritum cecidit, vel potius et a Bacone secundæ figuræ in qua negativum quiddam semper concluditur, sua vis et auctoritas restituitur, et a Cartesio tertiæ in qua, nullo generum habito respectu, proprietates rerum una ad alteram referuntur. Inde prima figura de pristina perfectione sua est dejecta. Quo enim magis humana scientia crescit, et mens certius veram suam virtutem ponderat et definit, eo magis se res, quatenus in se et absolute sunt, ignorare sentit. Qui, ut summam et absolutam quamdam cognitionem assequatur, humanum cognoscendi ordinem negligit, illi cogitanti nullum superest fundamentum, nec quidquam aliud nisi inania somnia fingit.

Sed, ut primæ figuræ primus modus, quem perfectum syllogismum Aristoteles vocaverat, minime ad ordinem illum pertineat, qui simpliciter et per se existit, non inde sequitur hunc nullum esse. Universa enim sententia, cum non sit vere cognoscendi, recte saltem agendi principium fieri potest. Nonne bene vivendi ars huc redit ut quisque se talem erga alios præbeat quales alios erga se velit esse? quod Kantius sic interpretatus est : « Ita semper age ut tuam agendi

1. Cf. *Novum organum*, lib. II, cap. xv et xvi.

formulam in universam legem converti velle possis », quodque nostro loco sic interpretabimur : ita semper age ut tua agendi formula e primæ figuræ syllogismo quodam concludi possit. Quinetiam tales syllogismi quasi vivere videntur : animum enim ad sententiam verte qua hodie apud nos scelera condemnantur; nonne hæc tibi syllogismi conclusio esse apparet, apud quem major est semper, ut debetur, universa lex in codice antea scripta, et minor est facti cujusdam affirmatio a civibus jurejurando obstrictis pronuntiata? postquam cognitum est et quid sit juris et quid facti, tum tertia vox auditur, scilicet judicum ipsorum qui ab universa lege ad peculiarem causam transferentes concludunt. Tribus ita sententiis seorsim enuntiatis et inter se necessaria ratione conjunctis, syllogismum ibi dari negare haud licet. Perfecto igitur Aristotelis syllogismo sua vera vis, ut non sit metaphysica, est practica. Hoc tamen quasi ignoravisset, Aristoteles non argui potest; agendi enim syllogismum præcise descripsit [1], etiam quomodo inter universam legem et peculiarem sententiam tanquam medius terminus civis lege ipsa informatus interveniret, præclare demonstravit [2]. Sed artem syllogismi nullam esse putabat, nisi ab agendi lege ad omnium rerum scientiam extenderetur. Tum Aristotelem fugit artem illam, cum in communium notionum virtute quasi in cardine innitatur, non posse valere ubi communes notiones ipsæ non valeant; aut saltem eum fugit, quod Socrates veram scientiam in communium notionum definitione ponendo tam clare et tam acriter addiderat, scilicet notiones communes, cum in nobis formentur, non rebus quæ extra nos cernuntur, sed actionibus, quæ e nobis erumpunt, bono jure convenire.

1. *De an. mot.*, 7, 701 a 28.
2. *Polit.*, III, 16, 1287 b 25.

Itaque Aristoteles Socraticam artem, quam se emendavisse et auxisse putabat, vitiosam et sterilem fecisse nobis videtur.

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XIX Kal. jan. ann. M DCCC XCVII,

Facultatis litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR,

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

TABULA CAPITUM

CAPUT I. — In syllogismo mentis virtus constat..... 1

— II. — E medio termino vis syllogismi oritur..... 5

— III. — Medius terminus est causa..... 8

— IV. — Medius terminus est materies..... 11

— V. — Medius terminus est causa quæ efficit..... 16

— VI. — Medius terminus est forma..... 22

— VII. — Num medius terminus sit finis quæritur..... 36

— VIII. — Conclusio..... 40

Columbariis. — Ex typis PAULI BRODARD. — 3-97.

21,823

COLUMBARIIS
Ex typis Pauli Brodard.

Ga 113.152.25
Qua ratione Aristoteles metaphysica
Widener Library 004168818
3 2044 085 099 505